

**Embryologia seu Dissertatio de fetu, in qua fetus ab adulto differentiae dilucide exponuntur. / Propugnata ... Rudolpho Jeremia Raisin ... ; Praeside ... Francisco de Sauvages ... in augustissimo Monspeliensis apollinis fano. Die mensis Maii 14 anno 1753.**

### **Contributors**

Boissier de la Croix de Sauvages, François, 1706-1767.  
Raisin, Rodolphe Jérémie, active 1753.  
Ecole de médecine de Montpellier.

### **Publication/Creation**

Monspelii : Apud Augustinum-Franciscum Rochard, Regis & Universitatis Medicinae Typographum unicum, 1753.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/e37zhhzv>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

EMBRYOLOGIA  
S E U  
DISSERTATIO DE FETU;  
IN QUA  
FETUS AB ADULTO DIFFERENTIÆ  
DILUCIDE EXPONUNTUR.

Propugnata ad gradum Baccalaureatus consequendum a RUDOLPHO-  
JEREMIA RAISIN, e Monte Bellicardo, Artium Liberalium  
Magistro & Medicinæ Alumno.

P R A E S I D E

R. D. D. FRANCISCO DE SAUVAGES, Regis Con-  
filiario ac Medico, Medicinæ & Botanices Professore  
Regio, nec-non Academiarum Londinensis, Monspe-  
liensis, Upsaliensis & Suecicæ Socio.

IN AUGUSTISSIMO MONSPELIENSIS APOLLINIS FANO.  
Die mensis Maii 14<sup>a</sup>. anno 1753.




---

MONSPELI,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ  
Typographum unicum. 1753.





R. R. D. D.

## PROFESSORES REGII ILLUSTRISSIMI.

R. D. ANTONIUS MAGNOL, Decanus &  
Procancellarius.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, Prodecanus.

R. D. JACOBUS LAZERME.

R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis & Stirpis  
Regiae medicus primarius ordinarius.

R. D. ANTONIUS FIZES, serenissimi Aurelianensium  
Ducis, medicus primarius.


R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. CAROLUS SERANE.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. FRANCISCUS IMBERT, R. D. MAGNOL  
Coadjutor.

RUDOLPHUS TEREVIAS RAISIN



R. R. D. D.

PROFESSORES REGII ULTRISIMI

# D E O

R. D. VINTONIUS MAGNOL, Decanus &

## E T

R. D. HENRICUS HACUENOT, Prosector.

# P A T R I A E

R. D. ERVINCUS DE MARET, Medicus.

R. D. MEDICUS BURGUS, Medicus ordinarius.

R. D. VINTONIUS LEESE, Medicus Alixianus.

R. D. DECIS, Medicus primarius.

R. D. ERVINCUS DE SAVAGES.

## D. V. C.

R. D. FRANCISUS DE LAMURE.

R. D. ERVINCUS WIBERT, R. D. MAGNOL.

Cognac.

RUDOLPHUS-JEREMIAS RAISIN.



# EMBRYOLOGIA

SEU

## DISSERTATIO DE FETU.

1.  CONCEPTIONIS instanti ad partum usque *Fetus* Definitio.  
vel *Embrionis* nomine vocatur infans ; cum vero  
in lucem emissus pubertatis annum transegit ,  
vel etiam adtigit , dicitur *Adultus*.

2. *Fetus* absque placenta spectatus ab adulto differt & Divisio.  
absoluta sui ipsius mole corpusculi , & relativa partium ad  
totum magnitudine.

3. Primis ab ovi fecundatione diebus fetus oculorum Magnitudo  
aciem effugiens <sup>a</sup>, ad pondus usque 9. librarum sensim absoluta.

---

<sup>a</sup> Harvæus & D. Taurvy eum per 15 primos dies inconspicuum esse conten-  
dunt. Ex Leeuwenhoëckio decies millenam partem arenæ granuli vix æquant  
animalcula spermatica ; quæ tamen Lierbeckius excellentissimis adjutus micro-  
scopiis meras bullas semper judicavit. Ipse met propriis observatis comperi ea ex  
legibus hydrostaticis per majorem sui partem sursum constanter petere. His adde  
quod Wallisnieri haud insufficenter probet ea homunciones non esse , & nul-  
libi , sive animalium , sive vegetalium quærenda esse proditura individua nisi  
in ovis aut seminibus.

adaucta mole nascitur. Quia vero peculiares cuilibet organo functiones ab ipsorum organorum mole majori vel minori nullatenus pendent, ergo nec essentialis fetus inter & adultum differentia ab-hinc quoque repetenda: ergo illam dabit respectiva utriusque ad totum magnitudo. Ratio est, quod eadem omnino partes, eadem organa in utroque, magis in isto, in illo minus evoluta reperiantur; sed organa in quibus vasa nondum satis evoluta sunt sua opera defungi prorsus nequeunt: ergo idem esset penitus, modo ad solas functiones respicias, ac si partes illis dicatae nullae forent adhuc<sup>b</sup>: ergo magna & maxima bina haec-ce corpora intercedet dissimilitudo; cum unum organis instructum sit aptissimis, alteri vero deficiant. Haud secus ferme different horologia duo, mole discrepantia, e quibus unum probe fabrefactum oculis & auribus horas redderet; alterum vero, licet iisdem omnino donatum partibus, sed non ita ad agendum dispositis, horas tantum stilo designaret, ulla sono edendo impar. Essentialis horum-ce horologiorum differentiam in absoluta utriusque mole sitam esse nemo unquam, credo, contendet: homogenea enim compacta materia, eodem partium gaudent numero. Unde ergo illam deducas nisi e partium quibus constant mutata proportione, vel, quod eodem recidit, situ vario?

Partes adulti. 4. Idem est, refragante nemine, in fetu ac in adulto partium numerus (3), placentam & funiculum umbilicalem priori propria excipe. Quod vero spectat animam, praecipuum humanæ machinæ motorem, utrum aliqua intersit fetus & adultum sub hoc respectu differentia parum curabimus. His-ce nox incubat atra. Satis nobis sit horum-ce

---

<sup>b</sup> Arteriae & venæ umbilicales fetus ab iisdem in homine discrepant in eo quod in primo sanguinem facile transmittant; in altero vero constrictiores, immo saepius coalitæ, transitum denegent. Idem dic de vasibus pulmonaribus.

## DISSERTATIO DE FETU.

7

corporum annotasse differentias, quibus, mentis ( quæ terrena fœcis nil habet ) functiones intimo nexus conjunguntur.

5. Non parvi momenti difficultatem secum includit argumentum propositum , omissa quam mox ( 4 ) removimus ; rales. Usus genitium & hæc est partium usus sensus nostros dum agunt effugientium. Cui-nam actioni aut functioni peculiari peculiares partes aptissimæ sint, hic nobis incumbit determinandum. Verum minimula pars autorem agnoscit infinitæ sapientiæ , ideoque conformatio[n]e & situ feliciori donatur , eo ut omnibus aliis quam-maxime inserviat ; neque organi cuiuspiam usus innotescere potest, quin & pariter innotescat finis ab opifice intentus <sup>c</sup> : num ergo factus audentior ille videbitur qui veluti arcana magni illius opificis perscrutando , omnes & singulos harum-ce partium usus assignare velit adgredi ?

6. Stoicorum cœcum omnisque sensus expers principium, quod sortem vocant , si quis adeo vesanæ mentis admiserit , machinamque ab illo produci posse corpori humano persimilem adstruat , certe fatebimur illi machinæ inesse usus nullatenus ab autore intentos, utpote qui nullus fit. Ita non sine summo humani ingenii dedecore reperti sunt qui, oculum v. g. natum fortuito , huicque postea experientiam usum videndi comperisse, leviter effutirent <sup>d</sup>. Lugendus sane

---

<sup>c</sup> Usus rerum naturalium sunt fines a Deo intenti. Wolff. Demonstr. Theol. Natur.

<sup>d</sup> Istud in his rebus vitium vehementer , & istum  
Effugere errorem , vitareque præmeditor ,  
Lumina ne facias oculorum clara creata ,  
Prospicere ut possimus : & , ut proferre via  
Proceros passus , ideo fastigia posse  
Surarum , ac feminum pedibus fundata plicari :  
Brachia tum porro validis ex apta lacertis  
Esse , manusque datas utrâque à parte ministras ,  
Ut facere ad vitam possimus , quæ foret usus.

Lucret. de Rer. Nat. Lib. iv. pag. 148. Edit. de Coutelier.

error , nec ei multum absimilis qui bellicam navem vel pyxidem nauticam cœco casui tribueret. Corpus enim humanum ex immutandis mechanices & hydraulices legibus fuit fabrefactum , & quoniam ex infinito fere partium numero & combinatione varia coalescit , suprema opus erat intelligentia qua talis exurgeter machina , qua nulla perfectior <sup>c</sup>.

Principia. 7. Corollarium I. Si quis existimet quandam inesse partem humano corpori vanam & inutilem , is sciat se pariter & rationi adversari , & numini creatori inferre injuriam : quin imo nulla est quæ unico tantum usui inserviat , & cuius peculiaris opera ceteris omnibus millenis modis non famuletur. Qui tam mirabili compage illas adunavit , ut sic suam sapientiam & infinitam potentiam palam faceret , ab eo ipso scaturiunt veluti e vivo & perenni fonte eæ omnes scientiæ , nos ad cognitionem regularum quibus ipse volens se addixit , tuto veluti per manum deducentes.

8. Coroll. II. Quascumque in nobis experimur mutations cum perenni constantia fieri , nec voluntatis imperio subjacere , eæ fiunt de industria Entis sapientissimi & munificentissimi , cum ipsum Ens ortum dederit legibus juxta quas exequi valent.

9. Ergo quæ nonnisi ad certum ætatis gradum evolvuntur partes , eas nullius esse usus usquedum evolverentur assere , licet. Hujus generis sunt dentes , parvulique mammarum orbes iu puellis vix-dum puberibus sororiantes.

10. Ergo & quoque si quædam partes constanti observatione , ad quoddam vitæ tempus determinatum imminuantur & marcescant , non secus ac teneræ cotyledones , caudice adscendente ( mammae v. g. post ætatem nutritioni aptam ) vel etiam decidunt , ut petala secundato jam & efformato germine ( huc pertinet dentium casus in pueris

<sup>c</sup> In famulatum & subsidium unius operationis omnes conspirant. Gal. de usu Part. L. I,

pueris versus annum septimum, ubi capaciores alveoli dentes exigunt proportionatos) harum partium usum cessasse prorsus concludi debet.

11. Si quis vero adeo cæcus sit, ut omnes hæc mutationes supremo Numini subripere velit, eo nixus potissimum fundamento, eas nec necessarias esse, nec utiles, breviusque simul & illo dignius opifice futurum fore, si dentes ex. g. in infantulis decidui, eadem crescerent ac alveoli proportione; respondeo primum, ea temere & injuriose Numini asserta; dein, quod illa opinio quidpiam involvat secum contradictionis, quia certe videtur impossibile, lapideam sive vitream dentium substantiam fore & simul duram, adeo ut masticationi inserviat, simulque ita mollem, ut omnium accretionis graduum capax persisteret<sup>f</sup>.

12. Hinc.

1º. Organi cujusdam lenta admodum in fetu evolutio probe evincit, illud ei nondum esse necessarium, nec tale fore nisi in lucem edito (7).

2º. Iliusdem organi imminutio ortus tempore, illud nato jam homini plane esse inutile, nec saltem iisdem usibus inservire, demonstrat.

13. Jam vero pro comperto habemus, fetum & adultum essentialiter dissimiles, per respectivam partium molem ad molem totius corporis (3); & observatum fuit varios usus partium hisce duabus ætatibus addictos, dari per molem, seu quod idem est per accretionis vel imminutionis gradus: ergo nec procedendum ulterius, quin sedulo annotatum sit partium illarum in fetu & in adulto relativum ad corpus volumen.

14. Quod spectat ad fluida; an in fetus vasculis visceribus-ve, in majori copia reperiantur quam in adulto (propor-

<sup>f</sup> Nil impossibile Deo præter quod contradictorium (Wolff. Ontolog. 79.) & hinc vitiosum.

tione semper habita ad corpus utriusque, illud enim jam notare superfluum ) determinatu arduum quidem: pender enim problematis solutio a mensura omnium in utroque vel minimorum vasculorum diametri; talem vero quis unquam instituat? Attamen si vasorum principum analogiam ducem adsumere liceat, videtur, paucis exceptis, eadem fluidorum in utroque quantitas g.

15. Ad solida jam nos conferamus, eorumque in fetu & adulto proportionatam magnitudinem rimari moliamur.

16. Itaque 9mestris fetus, projectius, exanimisque in lance reponebatur. Is æquabat 9. lib. seu 1152. dragmas. Quod pondus vulgo æquilibrant nascentes fetus h. Meconium e tuba intestinali exemptum ponderis erat drag. 18. Sceleton probe omnibus musculis, membranis, adipi, visceribus emundatum drag. 65. Viscerum vero pondus, quod hic maximi momenti est, sequens indicabit tabula.

## F E T U S.

Tota moles corporis	1152.	Drag.
Cerebrum . . . . .	116.	$\frac{0}{0} \dots \frac{1}{10}$
Pulmo. . . . .	17.	$\frac{1}{4} \dots \frac{1}{65.8}$
Thymus. . . . .	3.	$\frac{1}{2} \dots \frac{1}{324}$

## A D U L T U S.

Tota moles corporis	9120.	Drag.
Cerebrum. . . . .	465	$\frac{0}{0} \dots \frac{1}{25. i}$
Pulmo (skirhosus). . . . .	528	$\frac{0}{0} \dots \frac{1}{17.2}$
Thymus. . . . .	2.	$\frac{0}{0} \dots \frac{1}{4560}$

g In fetu pond. 1152. drag. aortæ inferioris orificium paulo infra canalis arteriosi insertionem, erat 8. lin.  $\frac{1}{2}$ ; in adulto vero pond. 9120. drag. idem orificium eodem in loco, erat 23. lin.  $\frac{2}{4}$ ; cum autem adulti pondus esset ad pondus fetus ut 8. ad 1., aortæ quoque orificium erat, 100a. parte excepta, in eadem proportione; atqui fluidorum quantitates sunt ut orificia; nam 9100: 1152:: 563  $\frac{4}{10}$ : 72  $\frac{1}{2}$  :: 8: 1. circiter.

h Hall. in Boerhaav.

i Cerebri, cerebelli & medullæ oblongatae pondus ex eodem individuo

# DISSERTATIO DE FETU.

II

## F E T U S .

Cor.	6..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{189.}$
Hepar.	48..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{23.}$
Lien.	3..	$\frac{1}{2.} .. \frac{1}{324.}$
Pancreas	1..	$\frac{1}{4.} .. \frac{1}{907.}$
Ventriculus vacuus.	1..	$\frac{1}{2.} .. \frac{1}{767.}$
Renes.	7..	$\frac{1}{2.} .. \frac{1}{154.}$
Surrenales glandulæ.	3..	$\frac{1}{2.} .. \frac{1}{324.}$

## A D U L T U S .

Cor.	80..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{114.}$
Hepar.	431..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{21.}$
Lien.	52..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{175.}$
Pancreas	20..	$\frac{1}{2.} .. \frac{1}{445.}$
Ventriculus vacuus	43..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{212.}$
Renes.	67..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{136.4.}$
Surrenales glandulæ.	3..	$\frac{0}{0} .. \frac{1}{3040.}$

Adultus vero annos natus 23 phytisi laborabat, unde nil mirum si pulmo, liquidis, ut erat, infarctus,  $\frac{1}{17}$  totius corporis molem adæquaret, qui sanus vulgo  $\frac{1}{25}$  tantum obtinet. Id id præcedenti tabula emendare quisque poterit.

17. Nunc experientia edoſti sumus, quasdam partes, ut thymus & glandulæ surrenales, decies esse minores in adulto quam in fetu; & præterea, earumdem molem absolutam in adulto sensim ita imminui, ut in senioribus, præ tenuitate, conspicuæ sint.

desumere non licuit, sed illud per analogiam deduxi ex illius visceris pondere in aliis individuis, quorum moles corporis mihi probe nota erat; quod tamen erroris insimulari posset, nisi in æque macilentis individuis instituta fuissent experimenta; cum in multo obesioribus, viscerum moles sit duplo minor, aut circiter quam in aliis, habito respectu ad totam mollem reliqui corporis.

Bij

18. En ergo essentiales fetus & adulti differentiae, tantum a viscerum utriusque mole petitae; nec ullus dubito quin vasorum orificia viscerum molem sequantur. Si quid esset discriminis, certe quod in quibusdam casibus magis evoluta vasa, strictiora in aliis, tunc majorem, minorem nunc liquidam copiam admitterent. Moles enim partium ejusdem gravitatis specificae, est in ratione composita fluidorum & solidorum quibus conflantur.

Differentiae generales & variam, variosque usus capitis, thoracis & abdominis in fetu & in adulto adsignabimus; usus praecipuos singulorum harum-ce cavitatum viscerum postea exposituri.

19. Ex datis mensuris (16) viscerum proportio ad totam corporis compagem, est in fetu, ut 1 ad 25.; in adulto vero ut 1 ad 27.: ergo in infantulo, multo magis in fetu, majorem evolutionem, majoremque molem obtinet viscerum compages; quod de artibus aliisque corporis partibus dicere nequit. Econtra in adulto. Et ratio in promptu est. Qui enim opus erat fetui in utero matris gestato commode, in iuriisque externis impervio, motuum organis voluntati subditis? Qui vero visceribus, e quibus digestio, circulatio, vita denique pendent, ullatenus carere potuisset (12)?

21. Moles capitis in fetu molem capitis in adulto proportione multum exsuperat. Corpora vero similia, sunt inter se ut cubi laterum homologorum. In recens nato corporis circumferentia 13. erat pollicum cum semice; in adulto vero pollicum  $21 \frac{6}{10}$ : ergo soliditates sunt ut 1 ad 4: sed moles corporum mox compertas habemus, ut 1152 ad 9120., vel ut 1 ad 8: ergo caput in fetu, vel grandiusculo, duplam habet molem respectivam ac in adulto. Eandem inesse cerebro proportionem, sane quidem liceret concludere, quamvis, ut supra monitum fuit (16<sup>i</sup>), illud observare haud quaquam nobis contigerit.

22. Quae primae evolvuntur partes in ovo secundato (quo

fies propior primo fecundationis instanti , uti , ex facta pullorum gallinaceorum , in ovis magis vel minus incubatis comparatione , potuit colligi) sunt , caput , id est , vesiculæ quædam , cerebrum , cerebellum , oculos quoque adumbrantes ; & qualecumque medullæ oblongatæ vestigium . Nec citius in conspectum venit cor <sup>k</sup> , quod ipsum non-nisi a longe sequitur ceterarum partium , artuum scilicet , explicatio <sup>l</sup> . Unde patet , e tardiori nempe promptiorive organorum evolutione , major vel minor illorum utilitas ( 12 ) . Hæc inter organa sub eo nomine primas tenet systema nervosum , unde toti machinæ necessariæ vires fluunt perpetuo . Proxime dein adsident circulationis organa , quorum opera reliquis visceribus , ut suas functiones exercere possint , motus indesinenter necessarius suppeditetur .

23. Quo magis recens natus infans , eo frequentiori arteriarum pulsu donatur <sup>m</sup> . Arteriam 3 mestris pueri centum viginti pulsationes edere quolibet horæ minuto secundo , observavi ; & , in infantulo sex tantum modo dierum , centum & quinquaginta , intra idem tempus , numeravit miss. Bryan Robinson <sup>n</sup> . In adultis , quolibet horæ minuto , nonnisi 75 , pulsationes edunt arteriæ ; unde inferas pulsus in fetu frequentiam , majorem esse ac in adulto .

24. Verus & genuinus est tolleno <sup>o</sup> sinister cordis ventricle , in quo os arteriosum tollenonis orificium probe quidem adumbrabit . Cor fetus & adulti , licet variæ magnitudinis , inter se sunt similia , ut aiunt geometræ , ergo em-

<sup>k</sup> Adeas , quæso , celebr. Harvæi exercitationem xv. de generatione animalium .

<sup>l</sup> Ruisck. Advers. Anat. Deca. 2. 10. pag. 28. & Malpigh. T. 2. de pulli formatione , & de ovo incubato ; passim .

<sup>m</sup> In fonte pulsatili , vulgo fontanella , fuit observatum , iteratos ictus , arteriarum ictibus isochronos , esse in fetu frequentiores ac in recens nato .

<sup>n</sup> Of the animal œconomy . prop. 14. & Table des Pouls tirée de l'observation .

<sup>o</sup> Winslow. Traité de la poitrine , n. 84.

bolorum bases , vel utriusque cordis transversæ sectiones sunt in eadem ratione ad sua orificia ; cum autem fluidi velocitas ex iteratis embolorum ictibus , intra idem , tempus , debeat æstimari , ut demonstratu perfacile , sequitur , sanguinem duplo citius in fetu circulari , quandoquidem præna arteriæ pulsatione in adulto , duæ fiunt in fetu intra idem tempus . Quod tamen geometrico rigori subjici nolimus , cum in istis perquam sane arduis satis superque sit , ad ratiocinii commoditatem , quædam non utique falsa principia posuisse .

25. In vasis ejusdem crassitie i vis sanguinis , vel etiam ejusdem in parietes vasorum impetus quadrato velocitatis est proportionalis , quod de fluidorum omnium impetu pariter evincitur : ergo , si tantum ad sanguinis impetum , nullatenus ad molem respicias , illius vim in fetu quam in adulto proportione majorem comperies . Nec aliter fuisse oportuit : sic enim celerrima in fetu obtinetur partium accretio , vasorum evolutio , quibus vires vitales solummodo impendi videntur , dum utero gestatur infans . Ibi enim in immensa ad sui moleculam corpusculi ratione crescit . Adultus vero cum requiri am corporis magnitudinem sensim acquisivit , infrequentiori pulsu donatur , donec ad provectionem ætatem pervenerit . In puberibus etiam , in quibus vasa satis mollia , si quando acceleratur pulsus , seu , quod idem est , detur febris tantisper chronica , haud semel observatur , quod , morbo desinente , jam non febricitans grandior fuerit factus . Quid ergo ! Num foret pulsus frequentia , nondum exsiccatis vasculis , nec acri nimis facto sanguine , absolutæ corporis evolutioni necessitatis ?

26. Circulatio mensura vitæ . ( Pitcar . Elem . medicin . medico-mathem . prop . 58 . ) Ergo , quia in fetu vires omnes circulationi impenduntur , & quia vires illæ sunt in majori proportione quam in adulto , nonne jure merito concludi posset , majoribus , ætatu minimos esse vivaciores ? Quotidiana saltem nos docuit observatio , canum & felium catulos , ce-

teraque animantia, anatomicis dissectionibus natura quasi destinata, eo magis experimentis resistere, quo juventæ propiora. Extra dubium enim est, ista, pro parva corporis mole, non-nisi adigente vi suppliciorum perire posse.

27. Abdomen in fetu, si thoraci conferatur, majus est ac in recens nato, vel etiam in adulto. Proportione. Nec ideo cessat illa proportio in adulto, quia viscera thoracis majorēm molem adquirunt visceribus abdominalibus, bene vero quia pulmo thoraci inclusus, ac in fetu vasa sua convolutus reduplicatusque, majorem patitur evolutionem; erat enim reliquis visceribus una 30<sup>a</sup>. parte p̄ densior & crassior. Aere vero inlabente ampliatur, deciesque majus occupat spatium q. Hunc vidi, a compressione, per aerem impulsu (non alia ferme vi qua pollet ipse ad motus respiratorios) decies majori volumine adauctum.

28. Sed totum excessum quo superat fetus thorax, cuius pulmones aere recreati sunt, ejusdem fetus thoracem in utero materno adhuc-dum inclusi, pulmonum dilatationi cave tribuas; nam & hic quoque parum confert continua & successiva, qua sensim adaugentur partes, nutritio, multum vero thymi post ortum depresso & imminutio, quibus magnum sane relinquitur pulmonibus spatium. Adhæc nonnihil quoque facienda prima alvi evacuatio, qua meconium & urina, per plures menses cumulata, tandem eliminantur.

29. Jam satis fuse expositis generalioribus differentiis circa structuram & usus præcipuarum corporis cavitatum, ad peculiares. Differentiæ peculiares inclusorum viscerum, vel etiam minimularum aliarum partium usus, nosmet accingere fert animus. Quarum anatomæ probe cognitam supponere fuit necessum, duabus potissimum de causis; primo, quia secus in immen-

p Pulmonum in fetu gravitas specifica est ad aquæ gravitatem specificam ut 450 ad 434, aut circiter 30 ad 29.

q Pulmo diductus minore vi qua ab aere comprimitur, longior fit in ratione 10 ad 24, quod illi superficiem decies vel duodecies majorem donaret.

sum, ut ita dicam, hoc-ce academicum argumentum **excrevisset**; dein, quod talis descriptio figuris non paucis foret illustranda. Hunc ordinem nobis præfigimus. Verbo de sensuum organis in capite sedem habentibus, præmisso, circulationem, a placenta deducendo, eamque in ipsammet placentam reducendo, adgrediemur.

30. Cutim fetus ponderavi. Ponderosior erat cute adulti. Proportione. Sed cutis, partes quasdam habet tactus sensui plane inutiles: ergo nihil inde lucis in argumentum præsens refundi potuit. Ex Ruisckio (Epist. 8 Fig. 2 & 3.) ossicula auditus in fetu 9mestri, adulti ossiculis mole fere æqualia sunt; oculorum globus major pariter videtur, quamea tenerima ætate possit expectari. Ergo citius quam plurimis aliis partibus ad gradum perfectionis deveniunt illa organa: ergo plusquam verisimile, horum-ce functiones, vel a primis ortus diebus, ubi infans luci intuendæ, & sonis excipiendis idoneus factus est, esse necessarias. Bina hæc-ce sensuum organa in utero materno utraque impediebantur, palpebris oculos occludentibus, aures vero cerumine quodam, ad dies aliquot post nativitatem, obturante. Sed tenellus infans innumeris undequaque circumdatus externis corporibus, varioque modo ab illis petitus & lacesitus, indigebat haud dubie, visus, non secus ac auditus organis, quorum ope & vigilantia, de presentia ambientium objectorum perpetuo admonitus, noxia effugere, utiliaque adpetere, quodammodo adsuesceret. Num quoque fuit opus illi fibris nerveis magis expeditis, minusque adpressis ad invicem, ut factas in organo sensationes, sigillatim ad cerebrum deferrent, & in eo quasi excuderent? An ideæ, tenniorum ope organorum enascentes, obscuritatis vitio peccassent? Totoque cœlo ab ideis in adulto similiter enatis, discrepassent? Hæc, curis posterioribus, otioque majori consulto amandamus.

31. Placenta nihil aliud esse videtur quam arteriolarum & venularum congeries. Vasa illa in tot ramulos minores & minores distribuuntur, ut nullibi corporis tot fiant divisiones,

visiones, ex celeberr. Ruisckio. Totum corpus placentæ superne ambitur tunica, quam, per primos gestationis menses, villosam, & tenuissimis ubique perviam foraminulis videre est. Horum foraminulorum usus præcipuus est, sua oscula osculis vasorum lacteorum uteri committere, & coaptare. Tubuli quos efformant villi prædictæ tunicæ, intra uteri spongiosam admodum substantiam excipiuntur. Anatomicæ injectiones cum hydrargiro institutæ, ex arteriis umbilicalibus fetus usque in vasa uterina penetravere; & reciproce, liquida colorata totum iter, quod inter est vasa uterina matris & fetus umbilicalia, visa sunt percurrere; unde facili admodum negotio in fetus corpusculum diffundebantur. <sup>r</sup> Anatomicarum observationum immensa congeries ponit extra omnem controversiam, uterum sudare tenuissimum humorem lymphaticum, quem osculis venularum placentæ suppeditat; qui liquor, toto illo tempore quo, ovulum ex ovariis ad uterum usque per tubas defertur, primisque diebus dum volutatur in utero, mire tenuis & subtilis est. Cum autem vasorum, tum uteri, tum placentæ orificia crescant in eadem ratione ac illa ipsa viscera, & etiam proportione ad fetum majorem molem in dies adepsum, apta sunt quæ illi nutritium liquorem, chylosis globulis, imo & rubris aliquot refertum transmittere possint. Superstes liquidicopia, cui ingressus in placentam præpeditur, cuique sola sunt obvia chorios membranæ vasa lactea (minori quidem orificio prædicta quam placentæ sanguifera) forsan, per hos-ce ductus exilissimos, in cavum amnios devehi potest.

<sup>r</sup> Adi Halleriana Comment. in Inst. Boerhaavii n. 676. h. h\*. Ibi numerosissimos autores citatos reperies. Quas citationes jam supponemus, ni videlicet his-ce nimis eruditis hirsuta videatur hæc dissertatio. Vid. etiam Malpigh. Posthum. p. 47. Is tubulosos uteri adpendices vidit, qui nil aliud sunt quam vasa lymphatica hic agitata.

32. Humor ille lympha est gelatinosa, ad ignem concrescibilis, saltem per 7 vel 8 primos graviditatis menses, per dulcis, inodora, eumque ( si distinguere liceat ) liquorem referens omnino, quem non semel in ore, œsophago & ventriculo fetuum datum fuit observare. En ergo unde sibi aptissimum sumat alimentum fetus, vel dum per tubas fertur in uterum, vel dum utero jam jam adhaesit mediante placenta, vel demum, si quando funiculus umbilicalis, variis flexibus aut nodis obstructus, constrictus-ve, solitam escam aliquandiu suppressat.

33. Tota moles oneris, quod gestat in utero mater, consistat membranis, embryone inclusio, & liquore in amnios cavo contento : ita tamen ut, primis mensibus liquor, ultimis vero fetus, sit oneris illius pars preponderans. Nimirum crescit fetus in eadem omnino proportione qua liquor absunitur, respectu servato ad totam molem ; nam liquor in dies augetur, sed semper in minori ratione quam fetus. Quod si cum illustr. Boerhaavio, pro concessso habeamus, embryone vigesimam tantum ovuli partem occupari (quod, ut obvie dictum sit, mire congruit observatis<sup>s</sup>) & ipsum ovulum, secundo mense, ponderis esse duarum dragmarum, sequetur quod liquor inclusus, fetulum pondere superabit, ut 20. i. Partus vero instantे jam tempore, uncias aliquot æquat ille liquor : ergo jam copiosior quam primis ortus temporibus. Fetus vero, qui tunc nonnisi vigesimam liquidum partem æquilibrabat, nunc solus ipse totam liquidum molem undevigesies ponderat.

34. Hic etiam miranda subit summa creatoris providentia, quæ, veluti benigna mater, succum nutritum tenero embryoni affatim voluit suppeditari. Eo enim majorem sanguinis copiam ex utero vehit in hepar vena umbilicalis, quo magis partum minatur grava mulier ; dum itidem

<sup>s</sup> Haller. Comment. de conceptu § 677. f.

uterina vasa unde fluit, majori quoque donantur orificio. His adde, embryonem innatate fluido, aeris vices supplenti, in quo nullis omnino obnoxius sit adsstrictibus. Vetat etiam fluidum illud quominus sui carceris parietibus adhaereat infans, quod certe motibus, et si paucissimis, quos edere debet, fuisset impedimento. Ultimo tandem abundantior fit ille humor in dies, in eadem absolute ratione imminuti spatii, cuius majorem partem sensim occupat embrio.

35. Hepati inseritur vena umbilicalis, eo in loco quem vocant sinum portarum <sup>t</sup>; & prope truncum portarum, nec alibi, recto angulo, venosum canalem enasci observabis. Ille, reptans sub hepate <sup>u</sup>, venam cavam prope diaphragma ingreditur. Majorem ergo sanguinis copiam accipit hepar in fetu, quam in adulto; unde petitur ratio, quare in praecedenti tabula, moles illius molem hepatis adulti una decima tertia parte supereret. Proportione.

36. Sanguis quem devehit vena portæ in hepar, ab eo quem simul adducit vena umbilicalis varie illis, cogitur abire in canalem venosum dictum. Alioqui tota sanguinis illius quantitas, hepar simul ingrediens, eoque in loco congesta, ubi coëunt extrema venularum hepaticarum, eo magis sanguini ex infimis corporis partibus reduci, obstantiæ fuisset, quo minore vi sanguis iste polleat in fetu; arteriis umbilicalibus haud parvam illius copiam alio deducentibus.

37. Hinc, duplicitate quasi sponte fluit venosi canalis in adulto coalitio. Vena enim umbilicali jam non amplius sanguinem in hepar advehente, portarum crux (juxta eam quam habent liquida omnia propensionem, vasorum in quibus fluunt axim semper recta sequi, nec ad latera divagari)

<sup>t</sup> Godef. Gunz. Lipsiens. Observat. circa hepar pag. 12. rotunde negat verum inesse sinum venæ portæ hepaticæ.

<sup>u</sup> Hunc accurate satis delineavit Santuccius, in Anat. corporis humani.

minorem vim in os venosi canalis exerens, minus etiam venterbit, quominus nativo sui elaterio sensim constringantur parietes, & tandem coalescant. Dein, diaphragmatis complanatio haud parvi quoque momenti est, nec parum conducit obliterationi.

38. Per millenos flexus, variasque ambages, e placenta advectus sanguis, innumeros, in angustiis, tum placentæ, tum uteri, passus adstrictus (31), intra portarum divisiones diffusus, sicque laffatus, ut ita dicam, & defatigatus <sup>x</sup>, lentore etiam majori & majori in ductibus venarum hepaticarum donatus, talis demum cor adveniet, ut vel minimæ resistentiæ, sanguinis cavæ superioris impetui sit prorsus impar. Unde patet valvulae Eustachianæ utilitas, quæ, in orificio cavæ inferioris posita, major in fetu semper visa fuit, observ. celeberr. Winflow. In adulto, minor facta in dies, sensim evanescit. (Act. Acad. Paris. A. 1717.)

39. Sanguini in dextram cordis auriculam delato, bini patent exitus, nempe thalami orificium, & foramen ovale, in sinistram auriculam hians, valvulaque munitum, ita disposita, ut sanguini ex auricula dextra in sinistram transituro cedat facile, regressuro autem nullatenus. Nec sine consilio foramen illud natura efformavit in fetu. Si enim totus sanguis quem continebat dextra cordis auricula, ventriculum ingredi coactus esset, vel adaugendæ velocitates in ratione reciproca spatii strictioris facti <sup>y</sup>, vel ita

<sup>x</sup> Vires fluidorum sunt ut quadrata velocitatum per transversas canalium sectiones; atqui eæ ipsæ velocitates sunt in ratione reciproca illarum sectionum: ergo sanguinis in vasis uteri & placentæ, immunita velocitate, minores quoque fiunt vires, quam resarciri possint ab adaucta sensim vasorum diametro.

<sup>y</sup> Quantacumque vi pellatur fluidum intra orificia, necessum est, ut coactantur illa orificia, minorem liquidi copiam per ea fluere, nisi adaugeatur vis movens fluidum, in ratione duplicata adauctæ velocitatis. Id enim habent principio hydraulici.

moderandus circulatorius motus, ut ferme elanguisset. Ergo videtur, quam maximi erat momenti, illius ope foraminis, luxuriantem sanguinem, tota ea mole quam adtulerat vena umbilicalis, defraudari.

40. Dexter cordis thalamus, etsi minus validis instructus sit fibris muscularibus, attamen satis habet virium, ut in arteriam pulmonarem sanguinem superstitem trudere valeat. Qui vero sanguis ille, adhuc certe nimius, in jam collapsis pulmonibus, arteriæ divisiones percurrere, ac per venam in sinistrum cordis thalamum redire potuisset? Oportuit ergo, ut illum, maximam partem, averteret canalis arteriosus, quem, ex arteria pulmonari in aortam inferiorem, provida duxit natura. Cum vero minimula <sup>z</sup> tantum pars sanguinis per pulmones circuletur, evidens est, summam orificiorum venæ cavæ, tum superioris, tum inferioris, simulque dextræ cordis auriculæ, summa venæ pulmonalis, & sinuum orificiorum, multo majorem fore; quod observationi probe consentaneum videtur.

41. Ergo pulmonari arteriæ, majorem sane partem sanguinis aorta suffuratur, per canalem arteriosum (40); sed in fetu solummodo: nam ubi primum vitales auras carpsit in lucem editus infans, ampliatur thorax, pulmonum vasa, inlapsu aeris, in omnem sensum explicantur, unde fiunt toti sanguini e corde remitto intra sese recipiendo aptissima. <sup>aa</sup> Sed fluidum secundum axim vasorum propulsum, eo minus vasis parietes impetrat, quo patet via facilior. Demonstratur. Dein aorta, per incurvatam sui partem, sanguine copiosiori jam dives, validissimo diastoles motu, canalem arteriosum, arteriæ pulmonari fortiter cohibebit & adprimet. Quibus brevissime e ductu in ligamentum mutabitur.

<sup>z</sup> Eam tamen Hallerus unam tertiam partem esse existimat.

<sup>aa</sup> S'gravesand. Elem. Physices. n. 1782,

42. Pulmonares arteriæ jamnum satis explicatæ sunt, ut totum sanguinem dextri ventriculi, ad sinistram auriculam, per venam pulmonarem transmittere possint. Sanguis vero ille, sinistrum cordis thalamum subiens, mole & velocitate simul adauctis, sinus impetet parietes. Quia vero laterales fluidorum pressiones <sup>bb</sup> sunt proportionatæ excessui virium a tergo impellentium supra resistentias quas in exitu patiuntur; & quoniam sanguinis exitus, est in sinistrum cordis ventriculum, æquali vi, ac antea, renitentem, sequitur necessario, eo majorem a sanguine vim esse exerendam in lœvam cordis auriculam, toto illo excessu virium e novo additarum.

43. Etsi impressæ velocitatis aliquid intra polmonum anfractus amississe constet sanguinem e dextro ventriculo in arteriam propulsum, tamen sinistram auriculam ingressus, ita valvulam ovali forami adplicabit, ut illam e loco dimovere vix aut nullatenus queat sanguis, per venam cavam, e ceteris corporis partibus, in dextram auriculam rediens. Ergo, intra vires sanguinis utriusque auriculæ dabitur æquilibrium: ergo, foramen ovale, suæ valvulae coalitione, sensim obturabitur.

44. Jam vero totam molem sanguinis, trudit in aortam sinister cordis thalamus. Cum autem, virium sinistri ventriculi ad aortæ resistentiam proportio, eadem sit, bina <sup>3<sup>a</sup></sup> parte excepta, ac dextri ad pulmonarem arteriam, patet, binas has-ce arterias æqualiter distendendas fore, ut in adultis non semel comperi, nisi forte in quibus tuberculosus pulmo, obstructus-ve: eo enim in casu, arteriæ ampliari orificium necessum erat. (41)

45. Velocior factus in toto systemate arterioso sanguinis motus, in carotidibus v. g. subclaviis, suralibus &c. partes omnes corporis, brachia, pedes, &c. cerebri, viscerumque om-

<sup>bb</sup> D. Bernouilli (Daniel) in hydrodinamices, § 12. p. 260. formulam exhibet, unde deducas istud de pressionibus assertum.

nium molem magis ac magis explicabit. Vis etiam dia-phragma deprimens simul & pulmones elevans , thymi compressionem obtinebit; viscera omnia abdominalia, quasi prælo subjiciendo , chylo in ductum thoracicum ascendent i favebit , urinam & meconium foras expellet.

46. Musculi abdominales , non secus ac reliqui corporis musculi , à sectione, una sui tertia parte imminuuntur : ergo, circa abdominalia viscera, continua pressione id conantur, ut minor fiat cavitas quam ambient.

47. Ergo statim ab ortu imminuitur abdomen , ob urinæ & fæcum dejectionem ; unde arteriarum umbilicalium angulus superne reflexus ad latus vesicæ fiet acutior. In fetu, nullius fere momenti est arteria hypogastrica, si ad umbilicales conferatur. Quo magis vero in recens nato ad acutum vergit angulus quem efformat arteria umbilicalis , eo minus in illam fluere debet sanguinis , a muscularum abdominalium depressione, in iliacam externam , hypogastricam-ve jamnum injiciendi.

48. In utero mirum in modum convolutus, & quasi plicatus infans , ubi primum luci datur , sese in omnem sensum expandit. Mox, nutricibus traditus, misere <sup>cc</sup> , ut moris est , fasciis involvitur , sicque magis ac magis decurtantur abdominales musculi; arteriis umbilicalibus ad *Omphalon* adpressis quoque validius , mutatur sanguinis directio, fitque ad inferiora pronior ; unde nihil non conductit ad avertendum sanguinem, ne subeat arterias jam rescisi, & nodo inplexi funiculi , cuius vasa omnia, ab umbilico in ligamenta mutari, brevi erit observare.

49. Quem revehunt sanguinem in placentam arteriæ umbilicales, ut succis nutritiis sese iterum atque iterum immiscere posset , venamque cognominem simul ingredi , quadam velocitate in illos succos debuit impingere , ne nimio

<sup>cc</sup> Vid. D. Andry in Orthopedia. T. I. L. III. p. 290,

lentore facti desides, adfrictibusque innumeris retardati, venoso funiculi ductui subeundo inidonei fuissent. Moveretur autem sanguis ille intra canalem flexilem, eaque extensione donatum, qua, plicis quam plurimis, convolutionibus, pressuris, (ob sexcentas irrequieti fetus varias positiones) mire sit opportunus. Ergo huic-ce incommodo obviam eundum erat; idque præstandum potissimum sc., ut sanguinis motui nulla mora allata, simul quoque præpedirentur acuti illi anguli, in funiculo saepius exoriundi, fetuique præfens minabundi exitium. Unica forsan ratio: hæcque sita, videtur, in contorquendis spiraliter funiculi vasis, addita majori densitate, majorique robore parietibus arteriarum umbilicalium. His - ce enim circumductibus, adaugetur totius funiculi diameter. Jam vero, funes diversæ crassitie, variam obponunt resistentiam, pro vario diametrorum cubo, varioque sinu anguli ad quem plicantur <sup>dd.</sup> Nunc comprime funiculum, modo blande <sup>ee</sup>, nullatenus ideo moraberis circulationem, fier enim, inter lateralem vasorum pressionem, & minorem illorum in spiras solitas inflexum, exactissima proportio, qua, ferme nullius momenti erit inducta pressio. Quis vero linceis adeo erit oculis, geometriamque, etiam abstrusiorum, ita calleat, ut, stupendæ illius machinulæ, structuram & usus rimari penitus adgrediatur?

50. Delapsus ab utero matris infans (non secus ac maturi fructus, marcescente pedunculo, ab arbore gravida in terram decidunt,) motibus respiratoriis, per totam vitam

<sup>dd</sup> Musschenbroëck de resistentia corporum, & D. Amontons in Ephemeridibus Act. Acad. Paris. A. 1699. pag. 220.

<sup>ee</sup> Modo blande: nam si fetus 9mestris fortiter comprimatur funiculus umbilicalis, illico suffocatur, non secus ac si homini os & nares penitus occluderentur; quod evenit nullatenus, si caput fetus extra vaginam prodeat. Act. Acad. Paris. Id confer, si lubet, cum paragr. 32. sub finem,

vitam perennandis, primos ortus dare incipit. Nam, dum latebat in utero, saluberrimos aeris in sanguinem influxus, quos ipsa, quolibet circulationis instanti, mater experiebatur, fetui charissimo gaudebat impartiri <sup>ff.</sup> Neque enim satis adhuc constat de modo quo aer agit in sanguinem, tempore respirationis. Certum tamen & indubitatum est, eum ad vitam absolutæ necessitatis esse. An vero aer ipse sanguiferas venulas pulmonum subire possit? Illud, cum causis & mechanismo respirationis, consulto omittimus <sup>gg</sup>; nihil præter effectus & mutationes, quæ exinde in fetu oriuntur, hic annotaturi.

51. Dupli de fonte alimentum sibi haurit fetus in utero, nempe, e funiculo umbilicali, & liquore in amnios cavo contento, cui innatæ, quemque, in suum ventriculum deciduum, in propriam vertit substantiam. Indigebat ergo ortus exinde chylus solita in adulto elaboratione. Nec illa in adulto obtinetur, nisi ope canalis thoracici, venæ subclaviæ, & pulmonum alternis quibus succutitur motibus. Sed in fetu talis elaboratio prorsus erat impossibilis, ob aeris defectum, quo folles pulmonam excitarentur: & hinc usus glandulæ thymi, cuius in cellulosis receptaculis, chylum fetus, maximam partem, derivavit natura parens; ubi liquor lymphatico, liquidiori simul & subtiliori, admiscetur. Injectiones ex cera colorata, a Cowpero institutæ, iter, ex ductu thoracico in glandulam, aperuerunt. Bartholini, Heisteri, Morgagnii &c. observata quamplurima edocuere, in thymo vitulorum & agnorum reperiri liquorem, odore, sapore, colore, chylum vel lac probe referentem.

52. In thymi cellulæ, quas demonstrarunt Bononiensis Academiæ experimenta <sup>hh</sup>, contentus chylus, non tantum

<sup>ff</sup> Hales Static. vegetabil. pag. 213. Hæmostat. p. 87.

<sup>gg</sup> Hambergeri Dissert. de respirat. jenæ.

<sup>hh</sup> Commentaria Acad. Bononiensis. Part. II. Tom. I.

## EMBRYOLOGIA SEU

illius-ce glandulæ chylo immiscetur , verum etiam in ipsis-  
met cellulis , muscularibus fibris instructis , ad instar lym-  
phæ intra glandulas mesentericas , elaboratur ; unde , per  
canalem excretorium , a Ruisckio detectum <sup>ii</sup> , in venas  
mammaries injicitur , vel etiam venis mediastinis & juguli  
( quarum rami plures in illam glandulam serpunt ) absorbe-  
tur. Vices ergo pulmonis supplet thymus , dum chylum suc-  
co dissolvente elaboratum , reddit sanguinis oceano ; & hinc ,  
apud quosdam anatomicos , pseudo-pulmonis , vel pulmo-  
num succenturiatorum nomine venit.

53. Anne chylus ille ita elaboratus (52) , eandem ferme  
habet ac tubi mammorum specificam gravitatem ? Num  
vero ad illos circulationis ope delatus <sup>kk</sup> , ibi lactei illius  
humoris copiam , quam , e puerorum mammulis , per pri-  
mos vitæ dies , exprimunt obstetrices , suppeditabit ? Quo  
magis etiam pulmones dilatati thymicos ductus secretorios  
compriment , nonne tunc cessare prorsus usus illius glandulæ ?  
Hæc , veluti scholia , damus , minimo sane negotio , ex su-  
pradicis passim colligenda.

54. Usus capsularum atrabiliarum , quas vocant glan-  
dulæ surrenales , non minus huc-usque anatomicos latuit ,  
quam usus thymi glandulæ. Sed in fetu eandem molem obti-  
nent illæ capsulæ , ac renes oppositi <sup>ll</sup> , & , ab ortu , ita  
sensim imminuuntur , ut nullius fere momenti sint (16-17.) ;  
ergo (12) præcipiuus illarum usus fetus solummodo spec-  
tat <sup>mm</sup>.

55. Ex observatis Ruisckii , Molineti , Puttii &c. quælibet  
glandula surrenal is correspondentem renem æquat volumi-  
ne : idem de vasis sanguineis , capsulas simul & renes irro-

---

ii Ruisckius. Advers. Dec. 2. vii. pag. 18.

kk Vid. Thesim Hambergianam de secretionibus.

ll Ruisck. Thes. x. n. 152. & Winslow. n. 441.

mm Winslow. Exposit. Anat. n. 447.

rantibus , dictum puta <sup>nn</sup>; quamvis in illis , certe numerosioribus , nulla possit recte mensura institui. Præterea , docentibus Molineto <sup>oo</sup> & Malpighio <sup>pp</sup>, in fetu nihil non habent simile renibus , glandulæ illæ , textum intimum , numerum , situm , molem &c. Unde , eandem esse in usibus ac in structura analogiam , forsan valebit conclusio ?

56. Quid ergo moraris in illam venire sententiam ? Desunt tibi forte observationes , quibus satis superque adstrui possit ? En , accipe. Santorius has-ce glandulas , in virgine renum calculo oppressa , pelvis ad instar , vel membranosi sacculi distensas , & expansas vidit. Nec satis. Easdem , in muliere hydrope pectoris démortua , ejusdem molis ac renes , excavatas , & liquido lutei coloris , nec etiam insulso , turgidas observavit Puttius. Liquidum vero illud talis erat indolis & naturæ , ut pro lympha haberi nequicquam posset <sup>qq</sup>. In senioribus , urina ad colorem luteum-subfuscum , vel etiam rubicundulum vergit ; tales enim colores successive induit urina , ut sua serositate sensim depauperatur <sup>rr</sup>.

57. Hæc omnia (54-55-56.) varie inter se conlata , & rite combinata , evincunt penitus , surrenalibus glandulis inesse usus , a viris sapientissimis , doctissimisque jam pridem designatos , quorum est præcipuus , eandem , ad minus , urinæ copiam , ac renes secernere , eamque , per tubulos absorbentes , venis emulgentibus , & consequenter torrenti circulationis reddere , quam (urinam) nec debebant , imo nec poterant intra se recipere viæ urinariæ. Quælibet glandula surrenal , a communi trunco arterioso cum reni-

<sup>nn</sup> Haller. in Boerhaav. 364. 9. illa majora comperit quam ferat glandularum volumen.

<sup>oo</sup> Ant. Molineti Dissert. animi pathem. n. 7.

<sup>pp</sup> Malpigh. Epist. de structura gland. in Theatr. Anat. Mang. T. I. p. 227.

<sup>qq</sup> Comment. Acad. Bononiensis. Part. II. T. I. p. 151.

<sup>rr</sup> Bellini Experimenta de urinis.

bus, sanguinem accipit. Nec urina in fetus renibus secreta, eandem habet ac in adulto acrimoniam, cum per menses aliquot, vesicæ, citra ullam irritationem, immoretur. Quia vero in fetu desideratur allantois, in vicem illius veniunt glandularum cavuli, separatam urinam in sanguinem rursus immittentes.

58. Hanc si tollas derivationem (57), quid futurum sit, perspice. Ex legibus in adulto constanter observatis, urina fetus, per 9. mensium spatium cumulata, sui moleculam corpusculi sexies superabit<sup>ss</sup>: adde, quod insensibilis perspiratio, in fetu abundantior sit quam urinæ separatio<sup>tt</sup>: ergo nec vesica eam continere, nec fetus membranæ ipsæ, etiam si duodecies majores. Unde necessum fuit renes paucissimo li- quore in vesicam sese exonerare, residuumque secretionis alio consultius averti.

59. Nec capsularum atrabiliarium urinam denuo sanguini immissam, ei ullo modo officere existimandum est. Econtra blandus ille liquor (57), sanguinem, forsan a nimia velocitate (23-24.) acrem & cœnosum factum<sup>uu</sup>, fluiditate, mollietieque conciliatis, ad motum reddit magis ac magis idoneum. Quod vero, sive ex lotio, sive ex insensibili perspira-

<sup>ss</sup> Secretiones per eadem organa sunt ut pondus viscerum, si cætera sint paria; atqui renes fetus sunt ad renes adulti, ex praecedenti tabula (16), ut  $7 \frac{1}{2}$  ad  $67 \frac{9}{10}$ ; & renes adulti 30 uncias urinæ quolibet die separant (Keill. Aph. 5.) ergo renes fetus debent quolibet die secernere 3 uncias &  $\frac{3}{7}$ , quod per 9. menses, numeros ducendo, ad summam lib. 56, ascendit; quæ summa pondus fetus, seu 9. lib. sexies includit.

<sup>tt</sup> 32 vel 33 uncias die quovis perspirant adulti; ut vero copiam insensibilis perspirationis in fetu possemus annotare, maximum fetum inter & minimum, pondus ab utroque æqualiter distans reperiendum esset, quod, mehercule, facilissimo negotio inveniri nequit.

<sup>uu</sup> Boerhaav. Aph. 100. de velocit. sang.

tione, in hōs-ce fines nullatenus conspirabit, illud per placentæ vias jam cognitas (31), venas uterinas matris subeundo, foras per urethram eliminabitur.

Heinc quoque vide, cur puellæ, queis tumet uterus, sæpe-sæpius aliis micturiant, idque frequentius, quo magis partus imminet <sup>xx</sup>. Norunt practici.

60. Huc-usque(1-59.) fuse satis, nec adeo pessime probavimus, eadem inesse fetui & adulto organa: quasdam partes, in illo magis evolutas, minus vero in isto, & vicissim: a primis ortus temporibus, vias aliquot, in recens nato sensim constrictiores factas, & per *non usum* quasi obliteratas, tandem deleri; dum econtra, ductus alii, cavitatesque (ex. gr. sinus frontales, maxillares, sphœnoidæi, tuba Eustachiana, glottis &c.) veluti sponte dehiscentes, patent. Nec est cur in utero pariter aperiantur: tunc enim, liquore amnios quid illis fuisset opus, qui nunc, tamdiu exoptatum salutiferum illum aerem, respirationi, auditus & olfactus organis adeo necessarium, absorbeant avidi, & intra se libere transmittant? Minor autem vel major in tubulis flexilitas, & immutata fluidi vis, alio-ve derivata, id obtinebunt facile, ut vasa quædam coalescant, quædam amplientur. Vix enim aliud quidpiam simplicius fingi & excogitari potest, principiis quibus nostri machina superstructa fuit; sed illorum inter se varias conjunctiones, numero fere infinitas, quis unquam exhauriat? Suprema architectrix sapientia, cuius e manibus, vivus homo derepente prodidit e nihilo, nihil non prævisi reliquit, cunctaque, numquam satis mirando ordine composuit. Noverat illa præcisum tempus, quo, e suo carcere liberandus infans, novus hospes veniret in consortium hominum: nec eam sane latebat, illum, nobilissimis animi functionibus exequendis, haud citius

<sup>xx</sup> Mauriceau, Malad. des Femmes grosses, Ch. xv. Molineti loco citato superius (55.00).

före parem , nisi cum , tenerimis organis sufficientem vim paulatim adeptis , insensibilibus plurium annorum incrementis , corpusculum , ad molem in adulto requisitam , tandem excrevisset. Ideo , breviori simul & simpliciore via , caput fetus in utero magis explicari & evolvi jussit , cerebrumque fartum tutum voluit theca ossea , quam , de industria mollem flexilemque fabricavit , ut facilius per vaginam posset excludi. Totius machinæ sustentacula , ossa nempe , ut in finem conditoris conspirarent , dura esse oportebat ; ætate vero tenerima , lentæ & successivæ accretioni locum esse necessum fuit : unde ossium durities , a media sui parte incipiendo yy , extremis adhuc satis mollibus , nutritioni nihil admodum obstat. Et hinc epiphysium , cartilaginosarum extremitatum , fontanellæ &c. usus.

Jam vero , fetus & adulti omnes & singulas differentias sigillatim qui velit exponere , is integra volumina conficiat oportet. Quæ de hoc-ce argumento , forsan abunde nimis verba fecimus , sufficiant , ut quisque intelligat , creatorem Deum , omnia in humano corpore , ad amissim , pondere sc. numero & mensura expediisse. Stupenda enim inter varias corporis partes nullibi violata proportio , mirabilisque illarum concentus , probe demonstrant , proprias manus ipsum admovisse operi , ut quam perfectissimum exurgeret. O quam vecordes & stolidi , quos talia non rapiant in admirationem ! Quam ingrati , quos amore erga Deum opt. max. non devinciant : Nos saltem , ex intimo cordis affectu , hic , cum optimo viro Job , pectore ab imo exclamabimus :  
 22 *Manus tua , Deus , fecerunt me , & plasmaverunt me totum in circuitu .... Memento quæso quod sicut lutum feceris me , ... Nonne sicut lac mulisti me , & sicut caseum me coagulasti ?*

yy Ut constat experimentis D. Hales. Static. veget. p. 288.

22 Job. ch. x. w. 8. 9. 10. 11.

*DISSERTATIO DE FETU.*

31

*Pelle & carnibus vestisti me : ossibus & nervis compagisti me.  
Satis ergo nobis sit , pro certo habere , nostrum hoc-ce cor-  
pusculum, tenue quamvis & infirmum, esse & structuram, ab  
eadem sapientia accepisse , quæ lusit in orbe terrarum, dum  
conderet: scrutari verò , quo pacto tale factum fuerit , si ag-  
grediaris , convinceris te , nec tuam imbecillitatem , nec opifi-  
cicis potentiam intelligere \*.*

**F I N I S.**

---

\* Galenus de Uſu part. Lib. I.



**ERRATA.**

## E R R A T A.

- PAGINA 5<sup>a</sup>. in annotatione , linea 3<sup>a</sup>. *Lierbeckius* , lege , Lieberkün.  
ibidem , lin. 6<sup>a</sup>. *Wallisnieri* , lege , Wallisneri.
- Pag. 7<sup>a</sup>. lin. 2<sup>a</sup>. *fæcis* , lege , fæcis.
- Pag. 8<sup>a</sup>. lin. 25<sup>a</sup>. *iu* , lege , in.
- Pag. 9<sup>a</sup>. lin 15<sup>a</sup>. post *Hinc* dele punctum.
- Pag. 11<sup>a</sup>. lin. ult. paragr. 16. *Id id* , lege , Id in.
- Pag. 14<sup>a</sup>. lin. 3<sup>a</sup>. deleatur virgula quæ jacet inter *idem* & *tempus*.
- Pag. 21<sup>a</sup>. in prima annotatione *existimat* , lege , existimat.
- Pag. 23<sup>a</sup>. lin. 7<sup>a</sup>. *à sectione* , lege , a sectione.
- Pag. 27<sup>a</sup>. lin. 9<sup>a</sup>. *Santorius* , lege , Sanctorius.

Alias , levioris momenti , mendas ( si quæ sint ) facile nobis condonabit  
Lector humanissimus.